

Achenwall
observationes juris naturalis

1 - 4

1754



GOTTFRIEDI ACHENWALLI
PROF. PHIL. ORD. ET IVR. EXTRA-ORD.
IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA
OBSERVATIONES
IVRIS NATVRALIS

SPECIMEN IV.
DE
IVRE NATVRAE IN GENERE
ET
IVRE NAT. ABSOLVTO IN SPECIE.



GOTTINGAE
SVMT. VICT. BOSSIEGEL. MDCCLIV.

OPUSCULUM
OBSERVATIONES
IN NATURALIS

IN NATURALIS IN GENESE
IN SPECIE



SVNT VICE DOMINICUS MDCCLIV



SPECIMEN IV.
OBSERVATIONVM
IVRIS NATVRALIS.

DE
IVRE NATVRALI IN GENERE
ET
IVRE NATVRALI ABSOLVTO IN SPECIE.

I. DE IVRE NAT. IN GENERE.

A. DIVERSI IVRIS NAT. CONCEPTVS.

§. I.

Ivs, *obiectiue* sumtum, est complexus legum perfectarum eiusdem generis. Ergo est complexus iurum atque obligationum perfectarum eiusdem generis. Conf. *Elementa nostra Iur. Nat.*

Leges dantur perfectae et imperfectae. Simul vero atque leges cogitantur tamquam contentum Iuris: ex usu loquendi

A 2

per

per omnia, quae demum cumque sint, omnis aevi Iura Positiua recepto, leges non aliae quam *perfectae*, quibus virtus cogendi adhaeret, quaeque sub comminatione coactionis obligant, intelliguntur. Hinc et *obligationes iuris* non dantur, nisi quae sunt *perfectae*. Leges et obligationes tales, quae in sphaeram Iuris referuntur, hoc est *perfectae*, sunt leges et obligationes *in specie* sic dictae seu *per excellentiam* tales.

§. II.

Hac licet *Iuris* notione posita vnica et inuariabili, IVS tamen NATURALE variam nihilominus significationem admittit.

1) In *sensu generalissimo* denotat scientiam iurium atque obligationum hominis possibilium, qua talium: quod quidem Jus appellari etiam potest *Ius Vniuersale*, *Vniuersalissimum*, *Ius Rationis*, *Ontologia Iuris*.

Ius hoc continet notiones conclusionesque inde deductas, Iuribus Positiuis cum Non-Positiuo communes, ideoque ad omnis generis iura applicabiles. In hunc censum referendae definitiones et principia *specimine obseruat.* nostrarum III. expositae.

2) In *sensu speciali* significat *Ius Diuinum Naturale*, hoc est scientiam obligationum hominis erga Deum indeque effluentium hominis in hominem iurium atque obligationum, quatenus per rationem cognosci possunt.

Et hoc quidem sensu Ius Naturale vniuersam comprehendit *philosophiam practicam* seu omnem iurium atque obligationum (imperfectarum aequae ac perfectarum) hominis naturalium (quae ex natura hominis eiusque actionum cognosci possunt) scientiam: differtque a Iure Nat. *generalissime* sumto, quod eius iura et obligationes non sint nude possibiles; sed

sed *existentes*, quodque excludat iura ac obligationes *positivas*, hoc est eas, quae ex ratione comprehensibiles non sunt.

3) In *sensu specialiori* sumitur pro IVRE NATURALI HVMANO, et inuoluit scientiam iurium atque obligationum perfectarum naturalium, quae homini in hominem competunt.

Hoc significatu exulant a Iure Naturali non tantum iura atque obligationes *positivae* omnes; sed etiam maxima pars eorum officiorum, quae in Iure Naturali Diuino locum tumentur, *officia* scilicet hominis *erga se ipsum*, *erga Deum*, *erga alios imperfecta*: neque ideo aliae in Iure Naturali obligationes continentur, nisi quibus homo homini (non Deo) perfecte tenetur. Et hanc quidem Iuris Naturalis specialio- rem significationem cum COCCIIIS, GVNDLINGIO, TREVERO aliisque nostram facimus.

4) In *sensu tandem specialissimo* Ius Naturale idem est atque *Ius mere Naturale* seu illud Ius Naturale *specialius* sumtum, quod obtinet in *statu naturali*, hoc est in eiusmodi statu, qui concipitur abstrahendo a societatibus.

Qua quidem significatione Ius *matrimoniale*, *paternum*, *herile*, *dominicum*, *familiae* et *Ciuitatis*; consequenter iura atque obligationes mutuae mariti et vxoris, parentum atque liberorum, heri atque famulorum, domini et seruorum, patrisfamilias et domesticorum, principis et subditorum extra sphaeram Iuris Naturalis positae intelliguntur. Ius mere Naturale itaque est species Iuris Naturalis in significatu tertio, seu est eius subordinata disciplina.

B. HYPOTHESIS CIRCA OBLIGATIONVM
IURIS NAT. NECESSARIA.

Simul atque lex naturalis vniuersalissima: *perfecte*, ponitur qua lex existens, quae hominem non obligare tantum potest; sed actu obligat: supponendus etiam est *homo*, seu ens illud, cui obligatio naturalis actu incumbit, iis animae et corporis viribus, quae ad legem naturae obseruandam requiruntur, breuius: *viribus integris* instructus, adeoque talis, in quo non possibilitas nuda; sed actualitas seu vsus virium corporis mentisque reperitur.

Quum igitur finis totius philosophiae practicae eo tendat, vt stabiliantur normae actionum liberarum practicae, quarum obligatio hominibus actu, non possibiliter saltem inhaeret; Iusque Naturale, tamquam species philosophiae practicae, ad eandem metam, quoad actiones iustas iniustasque, collineat: patet, hominem, sicuti in toto philosophiae practicae campo; ita quoque in eius determinata atque subordinata disciplina, Jure scilicet Naturali, supponi et supponi debere qua ens integris viribus animae atque corporis instructum.

Haec hypothesis, si consideras *disciplinam Iuris Naturalis*; ad stabilienda eius principia, necessario requiritur, eidemque essentialiter inhaeret: quod si vero *hominem* respicis, ad quem applicandae sunt leges Iuris Naturalis; experientia testatur, non omnes homines his viribus integris actu instructos esse, atque hanc qualitatem ipsis ordinarie quidem et plerumque, sed accidentaliter dumtaxat, non essentialiter inesse.

Quam-

Quamobrem etiam dicta hypothesis, quod ad homines attinet, non aliter adsumitur et adsumi potest; nisi tamquam aliquid, quod *ordinarium* est intuitu hominum, tamquam regula: quae tamen ob diuersissimum hominum statum in adplicatione ad singulos variis etiam *exceptionibus* locum relinquit. Quae quidem exceptiones, quatenus aliam hypothesin continent, etiam alias conclusiones, a principiis vniuersalibus Iuris Naturalis discrepantes, progenerant, ideoque figillatim etiam sunt expendendae.

I. Si *homines* cogitas quoad nudam *possibilitatem*: vna omnium prorsus est essentia atque natura, animalitas atque rationalitas; in omnibus aequè possibile idem corpus organicum, intellectus idem, ratio atque libertas mentis eadem.

Si vero homines cogitas quoad *actualitatem* et tales, quales in hoc mundo viui vbiuis occurrunt: infinitam in iis diuersitatem reperies, maioremque aut minorem legibus obtemperandi habilitatem: sanos, aegrotos; infantes, decrepitos, impuberes, puberes, adultos; hos vsu rationis polentes, illos contra eodem destitutos; alios sapientes, stupidos alios mentisue non compotes, furiosos cet. Obligatio actualis, consequenter etiam correlati conceptus ex. gr. imputatio, siue in sphaera morali siue in iuridica verseris, supponunt hominem vsu intellectus et viribus sani corporis instructum, supponuntque consequenter hominem in statu quodam determinato. Qui status sicubi ita quidem deficit, vt ea de causa faciendi, quod faciendum leges iubent, homini fuerit physice impossibile: cessat eatenus lex, obligatio, imputatio.

Nihilo tamen minus homo in omni philosophia practica adhuc consideratur *in abstracto*, non *in concreto*: quum in-

nume-

numerae superent hominum circumstantiae singulares mutabiles, ad quas, in stabiliendis iurium atque obligationum naturalium principiis, nullo modo attendimus.

C. DIVISIO IVRIS NATVRALIS.

§. I.

Ius, obiectiue sumtum, est complexus iurium atque obligationum. Diuersa concipi possunt iura et obligationes naturales pro diuerso hominis *statu*. Ex qua differentia promanant diuersae Juris Naturalis species.

§. II.

Considerari homo potest in *statu vel sociali vel extrasociali seu solitario seu naturali*: vnde *IVS NATVRALE* est vel *SOCIALE* vel *IVS mere NATVRALE* seu *NATVRALE in specie*.

§. III.

Status naturalis considerari potest vel talis, qualis est posita *laesione*: vel qualis est non posita laesione, seu citra laesionis hypothesin. Posita laesione ponitur facultas actu cogendi moralis, quae quidem continet ideam *belli*, cui opponitur *pax*. Hinc *IVS mere NATVRALE* vel est *JUS BELLII* vel *PACIS*.

§. IV.

In *statu naturali pacis* quaedam reperiuntur iura atque obligationes, quae supponunt *factum* hominis: aliae, quae *factum* minus supponunt, consequenter quae citra hominis *factum* concipi possunt. Illae
vocal-

vocantur *iura* et *obligationes acquisitae* seu *hypotheticae*: hae *connatae* seu *absolutae*. Vnde *IUS NATURALE PACIS* dispescitur in *IUS NATURALE HYPOTHETICVM* vel *ABSOLVTVM*.

I. Inde et *Suum Naturale* diuiditur in *connatum* vel *adquisitum* seu *quaesitum*: *Officia* etiam (iuris) in *absoluta* vel *hypothetica*.

II. *Ius Naturae absolutum* considerat hominem in eo statu, in quo nec est *focius*, neque laedens neu laesus, nec qui factis suis ius adquisiuit, aut obligationem contraxit. Hic status vocatur etiam *status a natura*.

Cum methodus docendi requirat, vt a simplicioribus atque abstractionibus initium ducatur, et sensim ad ea, quae magis sunt composita et concretiora, descendatur: optimus in speciebus Iuris Naturalis peruestigandis esse intelligitur ordo, vt praeponatur ea Iuris Naturalis species, in qua abstrahitur a societate, a laesione, a factis iuridicis; atque hoc iinere emenso porro ad ea prius, quae *permanente* adhuc statu hominis naturali addi possunt, tum *facta iusta* tum *laesiones* seu facta iniusta; tandem vero, his expositis, ad *societates*, quae *vollunt* statum naturalem, transeamus. Ergo explicito ante omnia *Iure Naturali Absoluto*, *Ius Hypotheticum*, porro *Ius Belli* denique *Sociale Ius* erit explicandum.

D. QVANTITAS LEGVM IVRIS NATVR.

Leges Iuris Naturalis, ideoque etiam *obligationes* et *iura* naturalia, aliae aliis *maiores minoresque*, superiores inferioresque deprehenduntur: consequenter quantitatem commensurationemque admittunt. Reperitur autem *diuersa* legum *quantitas* ratione

1) *subalternationis*: quum in relatione duarum legum ad se inuicem alia est subalternans alia subalternata.

B

ta.

ta. Illa hac est abstractior. Illa generalior, haec specialior. Illa ad plures casus singulares, haec ad pauciores est applicabilis. Illa campum conclusionum spatiosorem, haec continet contractiorem. Illa hac est foecundior.

Huius diuersae quantitatis *fundamentum* itaque solum est in *abstractione*: *usus* sese manifestat in *ratiocinationibus* inde extractis, ex. gr. *pacta sunt seruanda*, est lex maior, quam: equus venditus emtori est tradendus.

2) *Motiui*: quum in relatione duarum legum erga se inuicem altera lex maius gradu motiuum continet altera. Illa in *collisione* vincit, haec cedit.

Huius diuersae quantitatis *fundamentum* itaque quaerendum est in *motiuis*: *usus* sese exserit in *collisione*, ex gr. Amicus amico secreta omnia reuelanda promisit. At princeps arcantum status fidei subditi committit, nulli mortalium prodendum. Obligatio posterior maior est priori.

I. *Entia physica* diuersum et in *extensione* et in *pondere* habent quantum. Priori casu aliud alio est longius vel breuius: posteriori grauius vel leuius. *Extensioni* entium physicorum in legibus, quae sunt *entia moralia*, adsimulatur subalternatio: ponderi motiuum. Lex subalternans respectu subalternatae nominari potest *lex extensiuæ* (moraliter seu idealiter) maior: lex, quae respectu alterius maius gradu motiuum continet; *lex ponderosior*.

II. Haec, quae de *legibus* Iuris Naturalis seu *perfectis* adserimus, ceteris paribus de *legibus* moralibus in genere aequè adfirmari possunt. Huius ope distinctionis facile euitatur logomachia de lege *summa* morali, quod praedicatum mox legi: *perfice te*, mox etiam legi: *ne pereas*, tribuitur. Scilicet *lex summa* seu suprema est, quae in relatione ad reliquas leges est maxima. Lex: *perfice te*, est vniuersalissima, vnde reliquae leges morales omnes concipiuntur, tamquam conclusiones

siones et propositiones speciales atque subalternatae seu subordinatae. Contra lex: *ne pereas*, est lex, cui in collisione reliquae leges omnes cedunt. Quamobrem *perficite te*, est lex respectu subalternationis summa et extensivae maxima: contra, *ne pereas*; respectu motui summa et ponderosissima.

II. DE IVRE NATVRALI ABSOLVTO.

§. I.

In omnem actionem, qua nemo laeditur, a natura ius est cuique. Ex hoc fonte innumeri promanant iurium riuuli, e.g. ius sese perficiendi; ius ad pacem, tranquillitatem atque felicitatem, tam internam quam externam sibi procurandam; ius vitae non solum necessaria, sed commoda etiam, quin iucunda quoque sibi vndequaue conquirendi; atque hoc quibuslibet modis: dummodo abstineamus ab alieno, et quas actiones ad hunc finem consequendum a nobis susceptas iudicamus iustas; eas ad eundem scopum ab altero susceptas non impediamus.

§. II.

Meum cessat esse meum dum volo.

Ex *psychologia* constat, omne mentis decretum fieri efficiens, nisi obstat impedimentum physicum vel morale seu legale. Quare etiam, dum decerno, ut meum cesset esse meum, cessabit actu; nisi impedimentum eiusmodi vel physicum vel morale obtiterit, hoc est, si id quod decerno, possum et physice et legaliter. Ita haec thesis intelligenda et ita est vera.

§. III.

Quamobrem 1) accedente proprietarii voluntate omne suum effici potest non-suum et alienum: consequen-

quenter omnia eius iura in alterum, omnes alterius in ipsum obligationes tolli possunt.

2) Eatenus omne ius meum respectu alterius, omnis obligatio alterius respectu mei est mutabilis (*moraliter*), h. e. citra iniustitiam immutari potest.

3) Volenti non fit iniuria. Qui enim mihi subtrahit, id quod hactenus fuit meum; sed quod volui vt cessaret meum esse: ille non subtrahit, quod meum est, consequenter nec laedit, nec infert iniuriam.

4) Cuilibet competit ius *alienandi* ^{a)}.

I. Inde concipitur iuris regula: *lex omnis admittit exceptionem pacti seu consensus*. Vtrumque enim continet *voluntatem*.

a) Consentit L. 9. §. 3. D. *de acquir. rerum dom.* "Quid enim tam conueniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi."

§. IV.

Omnis obligatio connata est ex iure alterius. Ergo illa huius est principiatum non principium.

Conceptus obligationis perfectae enascitur ex conceptu iuris alterius. Cf. Sp. III. *obs.* Hinc *obligatio naturalis hominis* aduersus Deum deducitur *ex iure Dei* in homines: obligatio naturalis hominis erga hominem *ex iure naturali*, quod cuilibet competit in sui conseruationem. Quamobrem et in abstracto, et in Iurisprudencia Diuina, et quod attinet primum Iurisprudenciae Naturalis Humanae principium, obligatio est iuris non principium; sed principiatum; non fundamentum; sed conclusio, quae iuri alterius tamquam fundamento suo innititur.

Quodsi

Quodsi ponis *statum hominum absolutum*, in quo homines considerantur tales dumtaxat, quales sunt a natura sua seu *qua* homines, ita vt abstrahatur ab *omnibus factis*, quibus noua iura quaesita, aliae obligationes contractae sunt: nulla concipi potest ratio quae efficiat, vt relatio haec obligationis ad ius *immutetur*. Eatenus thesis adferri potest: *Omnis obligatio connata est ex iure alterius*, et per consequens negamus, dari obligationem, quae non sit ex iure alterius; negamus, obligationem connatam esse principium iuris alterius.

Aliter vero omnino res sese habere potest in *statu hypothetico*, vbi homo *facta* committit, quibus ius quaeritur, obligatio contrahitur. Dantur *obligationes contractae*, quae *iuris quaesiti non sunt principiatum; sed principium*. Scilicet in hoc *statu* ratio diuersitatis cogitari potest, *factum* nempe *humanum*.

§. V.

A natura non datur ius in alterum adfirmatiuum nec obligatio adfirmatiua, seu in statu naturali absoluto *omnes obligationes sunt tantum negatiuae* ^{a)}. Dissidentes facile nobiscum sunt conciliandi ^{b)}.

A natura nemini competit facultas cogendi alterum, nisi eo casu, quo hic vitam et corpus illius inuadit, vel actiones eiusdem iustas turbat. Quatenus haec inuasio et turbatio cogitari nequit nisi *facto commissiuo*: eatenus in statu absoluto nemini est ius in alterum, nisi vt aliquid non committat, seu vt aliquid dumtaxat omittat. Quare a natura omne *ius in alterum* est simpliciter *negatiuum*, consequenter omnis obligatio nude negatiua, omne officium iuridicum non nisi omis- siuum. Ergo in hoc statu nulla dantur iura in alterum adfirmatiua, nullae obligationes adfirmatiuae, nulla officia commisiua.

I. Animaduertas velim, statum hominis naturalem absolutum eum esse, in quo abstrahitur a) a societate, b) a laesione, c) a factis iustis, quibus vel obligatio contracta vel ius fuit quaesitum, *conf. observationem praecedentem*. Propositio haec eatenus extenditur, quatenus dicta adest hypothesis, hoc est quatenus ponitur homo nec socius esse, nec laesus neque laedens, nec factio vlllo iura connata amisisse, aut quid obligationis contraxisse.

II. *Iura connata* cogitari quidem possunt *adfirmatiua* eo sensu, ut cuilibet a natura comperat ius, *actiones committendi* iustas: nequaquam vero hoc sensu, ut alicui in hoc statu ius sit cogendi *alterum*, ut actionem quamdam committat. At hoc est, quod intelligimus sub expressione ius connatum *in alterum*.

III. Obiicere potes: omne Ius Naturale deriuatur ex lege prohibitiua: *neminem laede, abstine ab alieno*: consequenter eadem ratione demonstrari posset, a toto Iure Naturali exulare obligationes adfirmatiuas, iura adfirmatiua in alterum. Quae thesis de toto Iure Naturali adserta quum sit falsissima: sequitur, ut eadem thesis nec de Iure Naturali Absoluto satis firmiter sit euicta. Verum haec nos non feriunt, sicubi considerare placeat, quod thesis nostra supponat *statum determinatum*, qui in reliquis speciebus Iuris Naturalis aut *non ponitur*, aut etiam *aliter* ponitur. Quidquid posita conditione verum est, id sublata conditione, vel posita alia conditione simul verum esse, adferri nequit. In statu absoluto *cogitari nequit* ius in alterum nisi negatiuum, ut quid omittat, nec per consequens laesio nisi commissiua, nec obligatio nisi negatiua. In statu contra hypothetico ius in alterum *cogitari potest* adfirmatiuum, ut quid committat, quod ex. gr. praestare promisit: consequenter in eodem statu et obligatio adfirmatiua, et laesio, quae fit omittendo, cogitari potest.

a) Ad-

a) Consentit quodammodo PVFENDORFF, Cap. VI. §. 2. de *Officio Hom. et Ciu.* "Inter officia absoluta seu quorumlibet erga
 „ quoslibet primum locum obtinet, *ne quis alterum laedat.*
 „ Est quippe hoc officium omnium latissimum, omnes homi-
 „ nés, *vt tales*, complexum, idemque facillimum, vtpote
 „ *nuda actionis intermissione* constans, nisi qua oblucentes ra-
 „ tioni libidines quandoque compescendae sunt. Quin et
 „ maxime necessarium idem est, quod citra illud hominum
 „ vita nullo modo consistere possit. Qui enim nihil boni in
 „ in se confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum mi-
 „ scet: cum eo tamen tranquille vivere possum, modo nulla
 „ ratione me laedat." (Haec tranquillitas seu *pax externa*
 „ continet supremum Iuris Naturalis finem, non adspirat am-
 „ plius.) Cui adfertioni subiungit neruose TREVERVS in nota
 „ (2): "Totum itaque *praeceptum* Iuris Naturalis strictè sic dicti
 „ *negatiuum* est, et prohibet, ne alter alteri obsit, vel damnum
 „ quacumque ratione inferat. *Adfirmatiua praecepta* ad prin-
 „ cipia *honesti et humanitatis* (Ethices) pertinent, vt nempe
 „ alter alteri proficit, nec ad eadem in foro humano, nisi ob-
 „ ligationis perfectae vinculum ex *facto* humano et *necessita-*
 „ *te* obueniatur, cogi aliquis potest".

b) Illi Doctores Iuris Naturalis, qui pro principio huius
 „ disciplinae fundamentali adferunt vel omnem *sui perfectionem*,
 „ vel latiori adhuc ambitu *rerum omnium fines* aut *perfectiones*,
 „ vel omnem *summi Numinis voluntatem* per rationem nobis de-
 „ claratam vel *stimulum benevolentiae naturalem*, cet. vno omnes
 „ ore contendunt necesse est, homini a natura obligationem in-
 „ cumbere non tantum, vt nihil *committat*, quo aliis damnum
 „ inferri possit; sed quoque vt nihil *omittat*, quo conseruatio-
 „ ni aliorum succurri, periculum ipsis imminens auerti possit,
 „ cet. Verum cum illi ipsi nobiscum in eo consentiant, quod
 „ haec officia ex. gr. eleemosynae ab altero homine *extorqueri*
 „ nobis adhibita violentia non possint: nos contra ipsis largi-

IBUR

mur quoque, haec officia adfirmativa esse perfecta in foro *Iuris Naturalis Divini*; licet in foro *Iuris Naturalis humani*, de quo solo sermonem facimus, imperfectis dumtaxat accenseri debeant, atque adeo in hac nostra sphaera non comprehendantur.

§. VI.

Ergo a natura

- 1) omnis actio omissiva est iusta, et
- 2) omnis actio iusta, quae est commissiva, est simul indifferens.

Prior thesis ex eo immediate deducitur, quod in statu naturali absoluto nulla actio tamquam iniusta cogitari potest, nisi quae consistat *in committendo*.

Posterior sequenti ratione intelligitur. In statu Naturali absoluto omnis obligatio eo redit, ut actio, quae alienum subtrahitur, omittatur; consequenter in hoc statu non datur nisi actio omissiva, quae subest obligationi. Ergo omnes actiones commissivae, quatenus non continent laesionem, seu quatenus sunt iustae, neque ad committendum neque ad omittendum sunt obligatoriae, hoc est sunt *indifferentes*.

I. Actio indifferens vocatur etiam actio *Iuris Permissivi*. Quamobrem a natura omnis actio iusta, quae est commissiva, est *iuris permissivi*, non *obligatorii*, hoc est nec praeceptivi nec prohibitivi.

II. Actio legibus naturalibus non contraria appellatur *Iuris esse Naturalis*. - E Actiones dictae a natura sunt *Iuris Naturalis*,



Fc 2211





GOTTFRIEDI ACHENWALLI
PROF. PHIL. ORD. ET IVR. EXTRA-ORD.
IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA
OBSERVATIONES
IVRIS NATVRALIS

SPECIMEN IV.
DE
IVRE NATVRAE IN GENERE
ET
IVRE NAT. ABSOLVTO IN SPECIE.



GOTTINGAE
SVMT. VICT. BOSSIEGEL. MDCCLIV.

